

---

## *C e n s u r a*

commentarii Doeringiani ad Horatii Epistolarum l. II. init. ep. 1.

---

**E**xplicanti mihi nuper Horatii Epistolas et, quum eo ipso tempore aliquantulum otii suppeteret, interpretum non recentium solum sed etiam veterum, quorum copia erat, sententias super locis dubiae addubitatae vel fidei vel interpretationis exigenti; prae ceteris novissimus editor Doeringius, Vir Cel., quum aliis locis haud paucis a vero aberasse, tum ab initio ep. 1. l. II. aliam post aliam culpam suscepisse visus est. Itaque quum denuo aliquid commentationis addendum esset programmati, ex iis, quae tum plura sed breviter, ut in schola, monendi erant discipuli, ne temere sequerentur spectatissimi editoris auctoritatem; hanc potissimum partem elegi, de qua uberius in his schidulis exponerem.

Scrispsit autem Doeringius ad v. 3. et 4.  
in publica commoda peccem,

Si longo sermone morer tua tempora Caesar.:

„et tamen haec epistola, si epistolam ad Pisonem exceperis, omnium Horatii epistolarum est longissima. Scilicet non raro rei alicujus, quam paucis expedire volumus, gravitas, vel jucunditas nos disertos et verbosos reddit.“ Sic vero excusandus esset Horatius, si dixisset: peccarem, si morarer. Contra praesente conjunctivi tempore poeta propterea usus est, ut partim longum hunc sermonem futurum ipse significaret, partim subvereri se, ne in publica commoda peccaret, aperte profiteretur.

In eundem hunc, quo Doeringius se duci passus est, errorem videtur etiam Joannes Henricus Vossius incidisse, sic illis verbis vernacule redditis:

so fehlt' ich gegen Gemeinwohl,  
Wenn mein langes Gespräch dir Zeit abmüßigte, Cäsar.;  
et sine dubio Wielandius, interpretatus:

glaube' ich am gemeinen Wohl  
Mich zu verschulden, wenn ich Deine Zeit  
Mit langen Reden Dir entwenden wollte.

Nam pag. 41. Tom. 2. ed. tertiae hanc interpretationem suo more sic quasi commentatur: Nach einer kurzen Anrede, worin der Dichter einen eben so ehrerbietigen als unverwerflichen Grund angiebt, warum er ein zu guter Bürger sei, um den August mit einem langen Discurse zu belästigen, fängt er mit der Bemerkung an &c.

Sed hi viri docti, ut grammaticam temporum rationem tironibus expendendam reliquerint, qui tandem animum inducere potuerunt in eam cogitationem, ut Horatium, praesertim ad Augustum Caesarem epistolam daturum, vel non, antequam scriberet, argumentum et copiam rerum scribendarum mente emensum esse, vel, quum longiorem, quam instituisset, factam epistolam cerneret, non retractasse haec verba, et ad libri amplitudinem accommodasse putarent. Latet autem, nisi me omnia fallunt, hujus erroris fons in Acronis scholio ad h. l.: „Augusto, petenti sibi aliquid operis dedicari, scribit Horatius, „ideo huc usque (se id) non fecisse, ne jacturam reipublicae „faceret, si Caesarem a republica revocaret.“ Quamquam hoc scholion, per se spectatum, dummodo ne eo ipsorum poetae verborum interpretamentum contineri putetur, quum clarissimis verbis agat de eo tempore, quo Horatius eadem, quam in his prodit, verecundia deterritus, ad Caesarem nondum scripsit, perversae illi explicationi favere omnino non potest. Ac satis perspicue, quae fuerit Acronis mens, quum haec scriberet, Cruquii commentarius indicat: „Augusto, „increpanti Horatium, quod non ad se quoque plurima scriberet, ut Suetonius auctor est, in primis cum laude Caesaris „se excusat, ne ipsum, in republica occupatum, suis scriptis „detineret; deinde etc.“ Et Porphyrius scholia, quae vera sit poetae sententia, planius declarant. Ad verba enim *quum tot sustineas* etc. scriptum exstat: „Apparet hunc librum (i. e.

„hanc epistolam) hortatu Caesaris scriptum esse. — Ergo hoc „principium cum laude Caesaris et *ab excusatione, quod illum „voluit occupatum in republica suis impedire sermonibus.*“ Et ad verba *in publica commoda peccem:* „vanitate occupem te „neamque te, cujus omne tempus in publica commoda con- „sumendum est.“ Christophorus vero Landinus vel admodum rudi linguae sic aperit verum h. l. sensum: „*peccem* pro „peccabo, si ego te detineam longo sermone.“

Porro Doeringius ad. v. 4. „*tua* (sc. tempora), inquit, „negotiis tuis destinata.“ Haec verba quam vim peculiarem ad illustrandam vocem *tua* habeant, quis est, qui assequatur? Quodsi modo, verborum ordine inverso, scripsisset „tuis ne- „gotiis destinata“, videretur certe aliquid lucis affundere loco voluisse. Nemo enim non videt, per *tua* Caesaris tempora, ut gravioribus et sanctoribus occupata negotiis, quam quae interpellare liceat nugis poeticis, opponi temporibus negotiisque ceterorum Romanorum omnium.

Idem ad v. 5. „Bacchus, ut supr. l. l. vers 5.“ (error est, ut videtur, typographicus; quum res et verba spectent Hor. Od. III, 3, 13; licet hic illic etiam aliorum librorum errores in laudandis scriptorum locis in hanc editionem transcriptos, et maxime in indice, cujus auctores Bentlejani indicis rationem cognitam non habuerunt, aliquoties in ipsis Horatii Carminibus citandis turpiter peccatum esse reperias.) „voca-

„tur *pater*, ad verecundiam, quae ei debetur, designandam.“—  
Alias quidem recte et sexcentis locis tam late patet vis voca-  
buli *patris*; nec discrepat in hoc ejus usu Latina lingua ab  
ulla alia; ut, si ea notio hic valeret, illa animadversione  
supersedere potuisset editor. Sed Bacchi hoc epitheton fere  
solemne, ob eamque causam arctioribus finibus circumscri-  
bendum, paternum ejus et benignum animum designat,  
quo ea Deus munera, quibus generis humani vel com-  
modis vel deliciis consuluerit, procreasse creditur. Apposite  
ad hanc explicationem Forcellinus in Thes. sub v. *pater*: „spe-  
„ciatim, inquit, illi Divi dicuntur *patres*, qui effectores, geni-  
„tores conditoresque rerum habentur, ut Jupiter, Neptunus,  
„Bacchus; ille qui est *divum pater* ap. Virg. Aen. 1, 69. Ne-  
„ptunus, qui dicitur ab eodem *pater rerum* Georg. 4, 382.;  
„Bacchus, quem, ut ait Augustinus l. 7. de Civ. Dei cap. 21.  
„liquidis seminibus, ac per hoc et liquoribus fructuum et  
„seminibus animalium praefecerunt. Sic Columella l. 10. v. 200.  
„*pater aequoreus* h. e. Oceanus; Lucretius 1, 250.

„Postremo pereunt imbres, ubi eos *pater aether*

„In gremium *matris terrae* praecipitavit.“

Idem ad v. 6. „*Deorum in templa*, in coelum; Terent.  
„Eunuch. 3, 5, 42. At quem deum! qui templa coeli summa  
„sonitu concutit. Supr. l. l. v. 10. (Od. 3, 3, 10.) coelum vo-  
„cat (Horatius) arces igneas.“—Haec exempla, quippe a  
perspicua h. l. sententia prorsus aliena, fumum ex fulgore,

non ex fumo dant lucem. Nam a diis receptos esse illos heroes in sua templa, id quod esse posset in coelum, non solum non dicit Horatius, sed, comparatione heroum illorum cum Caesare servata, ne potest quidem dicere. Immo liquidum est hoc velle poetam, ab hominibus receptos esse illos heroes in templa, qualia homines Diis colendis in terris extruere soleant. Ex quo sequitur, *templa Deorum* h. l., ad usum loquendi communem, significare ea templa, quae his heroibus, velut Diis, ab hominibus dicata sint. Hanc solam veram esse illorum verborum explicationem vv. 15. et 16.

Praesenti tibi maturos largimur honores

Iurandasque tuum per numen ponimus aras.,  
collati cum iis, quae praecedunt v. 9—14. *ploravere—exstinctus amabitur idem*, ita probant, ut dubitatio de ea re nulla relinquatur. Ac sponte intelligitur hoc, recipere nos, quem recipiamus, eo, ubi ipsi versemur; ubi non versemur, eo nec alterum recipere nos posse. Atqui homines non versantur in coelo, ergo illuc recipere nec alios possunt. Quid quod Cel. editor ipse illi interpretationi suae videtur adversatus et verae huic suffragatus esse. Nam v. 15—17. adscripsit haec: „illi (heroes) enim post mortem demum inserti „sunt Deorum ordinibus, tu (Augustus) vero adhuc vivens „et praesens Deus a populo coleris.“; et v. 5—10: „Romulus, „Bacchus, Pollux cum Castore et Hercules, postquam rebus „gestis immortalem gloriam sibi comparaverunt, inter Deos

„relati—“. Atqui inseruntur Deorum ordinibus ac referuntur inter eos, qui antea Dii a populis suis habiti non sunt, a quibusnam aliis, nisi ab hominibus?

Idem ad v. 5—10. „Horatius supra quoque Od. 3, 3. commemoratos h. l. heroes, ut divinitatem nactos, conjunctim celebrat; sed ibi addit Augustum. (v. 10. 11. Quos inter Augustus recumbens, purpureo bibit ore nectar.) Horatius si diligentius animum advertis, idem facit hoc loco, sed tecte; nam verba *agros assignant* sc. colonis deducendis ad solum Augustum referri possunt. Huc accedit, quod in Romuli nomine Augusti simul nomen quodammodo latere potest, quia fuere, qui Augusto Romuli nomentribuendum esse censerent. Suet. Oct. 7.—“. Ad haec monendum est primum, non facere hoc poetam, ac ne tecte quidem, ut heroibus h. l. memoratis Augustum addat; omninoque non potuisse id fieri. Quem enim fugit, v. 5—19. comparisonem Augusti cum his heroibus contineri? Cujus ea pars, quae ad heroes spectat, pergit usque ad v. 14; ad Augustum, quae inde sequuntur. Atqui talem rationem ecquis unquam commentus est, secundum quam quod comparetur, commisceri et confundi liceat cum eo, quocum comparetur? Horatius certe, tantum abest, ut tale facinus committat, ut ipsa hujus comparisonis ratione Augusti sortem multo illorum heroum conditione laetiores esse demonstraverit. Sit tamen necesse est

in utraque comparationis parte, quod ad alteram referatur; unde ea similitudo oriatur, sine qua duarum rerum comparatio locum habere nequit. Itaque quae editor doctissimus e Suetonio attulit, eatenus tantum valere possunt, ut doceant, hanc comparationem cum delectu esse institutam. — Deinde potest quidem h. l. conferri cum Od. 3. l. 3., sed ita, ut ea collatione illustretur, quomodo eadem sententia de Augusti apotheosi, diversa orationis forma ab eodem poeta tractata atque expressa sit. — Denique quod putat, verba *agros assignant* ad solum Augustum referri posse, deceptus est arctissima et forensi significatione eorum in colonis deducendis. Nam ut concedamus, in verbis *agros assignant* scribendis, Horatium simul Augusti de rebus gestis cogitasse, idem tamen ut fecerit etiam in verbis

Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella

Componunt, — — oppida condunt

ex eadem lege comparationis postulandum est. Sed quum, pro ordine sententiarum, verba *agros assignant*, accommodate ad comparationum legem, quemadmodum paullo ante ostendimus, proxime ad heroes illos referenda sint; intelligitur, latiore ea sensu accipienda esse. Significat enim *agros assignare* in universum, certis eos possessoribus adscribere, sive privati juris adhuc non fuerunt, sive dominis suis erepti sunt; similique modo *agri assignari* dicuntur, quum, qui publici fuerunt, privati fiunt, vel emtione vel donatione, etiamsi



coloni non deducuntur. Ut aliquoties ap. Cic. tam aliis in locis, quam in tertia Rullana cap. 3. cf. Schuetz. Lex. Cic. et Facciol. Thes. sub v. assignare. Quodsi generalem hanc notionem, praesertim in poeta, non oratore explicando, sequeris, quid impedit, quominus h. l. *agros assignant* vel ad Romulum, vel magis etiam ad Bacchum referamus; si quidem cultior hominum vita, cujus hic auctor prae ceteris perhibetur, a certa demum agrorum possessione et cultura venit. Atque haec posterior ratio, qua *agros assignant* potissimum de Baccho dictum censemus, firmatur etiam rhetorica Horatii arte, non satis a Doeringio aliisque recentioris aetatis interpretibus animadversa atque expensa. Singulis enim his tribus heroibus (nam *cum Castore Pollux*, id quod ipsa verborum compositione declaratur, unam efficit personam) singula munera tribuuntur; sed inverso ordine et ita, ut primum verba *dum terras hominumque colunt genus* simul ad omnes pertineant; deinde *aspera bella componunt* ad Pollucem cum Castore, *oppida condunt* ad Romulum, ergoque *agros assignant* ad Bacchum proxime spectent.

Idem ad v. 13. 14. „Hic locus, ut nunc legitur, diffi-  
 „cultates habet vix expediendas. Fea ad duorum codicum  
 „fidem pro *positas* in textum recepit *positos*. Hoc placet;  
 „sed quomodo *qui praegravat artes* explices? — praegravare  
 „est gravius pondus habere, graviore pondere vincere (nos

„überwiegen), et proinde superare; sed quid est vincere vel  
„superare artes? Accipiunt quidem nonnulli interpretes *artes*  
„pro artificibus; sed hic non sermo est de artificibus. Res,  
„puto, expedita est, si pro *positas* cum *Fea positos*, et pro  
„*artes* mecum legeris *arte*. — arte in latiore significatione,  
„ut supr. Od. 3, 3, 9 et 13. Vossius acutissime difficiliorum  
„Horatii locorum sensum rimans, hujus loci emendationem,  
„a me propositam, in animo habuisse videtur; vertit enim:

Denn mit blendendem Glanze beleidiget, wer vor den Andern  
Raget durch höhere Kunst. —

„*exstinctus*, mortuus.“

Has difficultates tum ipse sibi Cel. editor, tum maxime  
*Fea* ei excitavit, scribendo *positos* pro *positas*. Et *Feae* qui-  
dem mutationem bene refutavit Bothius; cujus argumentatio-  
nem miror contemptam esse a Doeringio; tardiolem certe  
reddere eum debebat in cumulando dubiam scripturam con-  
jectura non necessaria. Sed nec Bothii mutata verborum  
interpunctione opus est; quum totus locus, ut vulgo legitur,  
ab omni parte sanus sit.

Triplicem igitur diversis trium illorum Virorum curis  
mutationem hi versus, ad nostram aetatem intacti, brevissimo  
tempore experti sunt. Qui quum, ad fidem omnium cdd.  
mss. praeter duos, in omnibus ad *Feam* usque libris impres-  
sis sic legerentur:

Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes  
Infra se positas; extinctus amabitur idem.;  
Fea ex duorum illorum mss. auctoritate dedit:  
Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes,  
Infra se positos; — .

Hanc mutationem justa de causa improbens Bothius, servata  
quidem vulgata scriptura, sed aliter ea, ac vulgo fit, distincta,  
sic legi jubet:

Urit enim fulgore suo, qui praegravat, artes  
Infra se positas; — ;

Doeringius autem, probatam Feae scripturam fulciens ac  
muniens conjectura sua *arte*:

Urit enim fulgore suo, qui praegravat arte,  
Infra se positos; — .

Quid igitur? Si tantum honoris est in conjecturis, quibus  
veteres scriptores onerentur; agedum, ut ostendamus, quot  
mutationibus h. l. pateat, dispiciamus, quae aliae praeter  
illas in medium proferri queant. Conjecerit enim quispiam,  
mutata vulgatae scripturae interpunctione, legendum esse:

Urit enim, fulgore suo qui praegravat, artes  
Infra se positas; — ,

quod sane haberet, quo se commendaret; vel, assumpta Feae  
scriptura et Doeringii conjectura, s tamen litera non, ut hic  
vult, ejecta, sed in versum seq. translata:

Urit enim fulgore suo, qui praegravat arte,  
Infra se positos; extinctus amabitur isdem;

nam sic demum, quippe oppositorum ratione habita, quam et Fea et Doeringius neglexerunt, id perficeretur, quod spectasse hi Viri videntur. Ex his porro singulis, varie inter se mixtis, quot scripturarum varietates, cum aliqua quaeque probabilitatis specie, procudantur, vix potest enumerari.

Et tamen hoc fit in eo loco, qui, si notissimum poeticae dictionis usum paullo accuratius perpenderit, prorsus nihil vel dubitationis vel difficultatis continet; nec per tot saecula ab intelligentissimis latinae linguae iudicibus in discrimen vocatus est. Nam unum hoc *praegravare artes*, quod tantos illorum triumvirorum motus concitavit, quum reputaveris, artes poni pro iis, qui eas exerceant, ut solet res quaeque pro iis, qui eam tranctant, adeo id non est insolitum, praesertim in poesi, ut idem loquendi usus in pedestrem orationem transierit. Breviter ac scite hanc rem sic explicavit Bothius: „Porphyrus, inquit, artifices dixit, Horatius ipsas „artes, quod longe gravius, etsi artifices etiam ipse intellexit.“ De hoc igitur tropo ejusque usu et per se satis luculento et huic loco admodum conveniente, ne verbum amplius. Reliqua autem oratio, secundum scripturam communem, eam habet concinnitatem, quam quis est, qui majorem vel cogitando effinxit? Etenim sicut *amabitur*, quod liquidum est

respondere verbo *urit*, sine objecto, ita etiam *urit* simpliciter ponitur; (Quibus verbis, simul monendum est, oxymoron effici, qualia pleraque in Horatio leguntur: *qui urit h. e. angit, amabitur.*) porro ut *extinctus*, quod item respondet verbis *fulgore suo*, attributive conjunctum est verbo *amabitur*, sic *fulgore suo* (i. q. fulgens, cum fulgore vivens) verbo *urit*; similique modo *idem* substantivo totius periodi, quod continetur reliquis verbis *qui praegravat artes infra se positas* ita respondet, ut hujus substantivi vice fungatur in parte periodi altera. Ad simplicem hanc oppositorum rationem si animum advertissent interpretes, existimandum est et cautiores eos fuisse in judicando, nec ad inutiles pravasque illas mutationes confugisse. Sed, ut supra dictum est, plerique recentioris aetatis interpretes praeter modum neglexerunt rhetorica Horatii artificia; quamquam eorum diligenti observatione justaque aestimatione haud parum, ut reliquorum scriptorum Romanorum, ita hujus poetae interpretationi consulitur. Opposita autem sibi esse *extinctus* et *fulgore suo*, vix erit, qui infitias eat; praesertim quum elegantiam et vim imaginis ejus, qua Horatius ad illustrandam h. l. sententiam utitur, probe excusserit. Complectuntur enim hi duo versus in sententia communi tamquam conclusionem earum rerum, quae singulae de singulis heroibus illis, perpetuo respectu ad Caesarem habito, in superioribus expositae sunt. Et fingit Horatius, tales homines, quales hi heroes, quasi stellas esse

spendoris insoliti, quae, quum per tempus aliquod *fulserint*, *exstinguantur*. Unde hoc quoque sequitur, *exstinctus* non simpliciter, quemadmodum Doeringius, quamvis praeceuntibus antiquis interpretibus, fecit, pro *mortuô* accipiendum, sed esse ejus vim accomodate ad vim vocis *fulgore* explicandam et definiendam. Vis autem, quae subjecta sit huic imagini, ipsarum sententiarum nexu non obscure proditur. Spectat enim poeta id, ut, quae vivorum heroum illorum fuerit conditio, diversa a mortuorum, manifestum reddat. De qua re Porphyrio: „rationem, inquit, exponit (Horatius), propter „quam minus coluntur vivi, qui virtute excellunt, post obi- „tum autem diliguntur.“

Quod scholion si Fea, ut par erat, quum ad reliqua ejusdem commentarii verba de hoc loco judicaret, respicere voluisset, in rectam eum deduci potuisse viam, probabile est. Neglecto eo, et ipse animum ad mutandum appulit, et Bothii Doeringique corrigendi studia incendit. Ac dicit quidem Fea: „Hanc esse veram lectionem, atque ita legisse Porphy- „rionem, liquidum est ex ejus commentario: „Gravis est „„enim, inquit (Horatius), inferioribus, et infra se positis „„nocet, quia artibus bonis ceteros vincit; sed requiritur „„tamen ac desideratur exstinctus.“ Huc certe respexit „Quinctil. Inst. Orat. X, 1. de Charisio loquens: „Atque ille „„quidem omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen,

„„et fulgore quodam suae claritatis tenebras obduxit.“ Et „paullo post de Germanico: dicent haec plenius futura „„saecula. Nunc enim ceterarum fulgore virtutum laus ista „„praestringitur.““ Sed, age concedam, Quinctilianum in utraque illa sententia, quam Fea e penu eruditionis suae protulit, h. l. Horatii respexisse; quid tandem in iis reperitur, e quo Quinctilianum h. l. *positos* legisse ita efficiatur, ut idem *positas* legere non potuerit? Porphyrius vero scholion, omitta tamen parte priore, quam modo dedimus, tam Feae scripturam *positos* (gravis est inferioribus, et infra se positus nocet), quam Doeringii conjecturam *arte* (quia artibus bonis ceteros vincit) defendere videtur. Quo magis tamen Feae mutatio, per se debilis et manca (quod etiam Bothius animadvertit), Doeringii demum conjectura aliqua saltem ex parte sustentari atque expleri potuit, ex utraque autem hac scriptura talis oratio prodit, quae non discrepet a quovis sermone pedestri; tanto magis cavendum est, ne conflata ex interpretamento tropicae et poeticae dictionis scripturam prosaicam poetae obrudi patiamur. Nam quis est, qui non intelligat, *arte* — *positos*, quae scriptura ad intelligendum multo facilior est quam *artes* — *positas*, e tropo illo, quo *artes* pro iis, qui eas exercent, nos quoque dictum accipimus, sublato potius ortum esse; quam, propria oratione in tropicam translata, quod difficilius erat et ad effingendum et ad intelligendum, *artes* — *positas* ex *arte* — *positos*? Ac Bothii

acumen probe vidit, qua culpa simplex Feae mutatio laboraret. Dicit enim, ut modo memoratum est: „Porphyrio artifices „dixit, Horatius ipsas artes; quod longe gravius, etsi arti- „fices etiam ipse intellexit.“ Additque: „Quid Fea? scilicet „dum legit *positos*, quod in 2. cdd. invenit, simul res (artes) „et personas (artifices) dictas vult ab Horatio, id quod *tautologias* est valde invenustae.“

Sed idem tamen Bothius errat in eo, quod pergit: „Sic haud dubie legendus locus:

Urit enim fulgore suo, qui praegravat, artes  
Infra se positas;

„Seorsim accipiendum est *qui praegravat*, h. e. qui praepon- „derat, qui in arte aliqua princeps est.“ Nam hac verborum „distinctione, primum non animadvertit, sublatum iri simpli- „citatem et concinnitatem relationis et oppositionis in verbis „*urit fulgore suo et amabitur exstinctus*; de qua re supra ube- „rius expositum est. Hoc autem piaculum sibi contraxit Bo- „thius neglecta, ut videtur, non solum tota periodi parte altera „*exstinctus amabitur idem* et ratione, quam habet cum parte „priori, sed etiam imaginis ea vi, ad quam, ut item supra „docuimus, universa haec sententia e mente poetae expendenda „est. Deinde idem rhetoricae Horatii artis rationem nec ea in „re habuisse videatur, quod hac interpunctione singulas ora- „tionis partes ita disjuxit, ut notionum copia nimis inter se



discreparent, maximeque subjectum enunciationis omni ornatu denudaretur. Quem enim putes Romanum, haec legentem, sola verba *qui praegravat*, ut subjectum, a reliquis sejunxisse? *Praegravare* vero posse intransitive sumi, nemo negabit; sed habet idem verbum etiam transitivum usum et eum altero quoque loco (nam bis tantum legitur ap. Horatium) Sat. 2, 2, 78. servatum, in his vero et oppositorum caussa, et ob partium orationis concinnitatem necessarium.

Atque Doeringium videtur ejusdem in verbo *praegravandi* usus transitivi certe non satis explorata ratio, praesertim Feae mutatione delectatum et inductum, ad proponendam suam conjecturam *arte* impulsisse. Nam et silet, quod Bonthius contra Feanam scripturam monuit, quamquam eo uno aliqua ac sola hujus periculi Doeringiani defensio continetur; et gloriolam e nova conjectura quaesivisse talem virum, nemo suspicabitur. Quaerit autem: „Quomodo *qui praegravat artes* „explices“? ut, qui haec legat, non diffidat, omnem Doeringii de hac dictione dubitationem inde ortam esse, quod verbum *praegravandi* non nisi intransitivum putaverit. Pergit quidem: „*praegravare* est gravius pondus habere, graviore „pondere vincere, (nos überwiegen) et proinde superare;“ ut non tam ignorasse transitivum hujus verbi usum, quam ejus rationem non satis exploratam habuisse videatur. Qui si contulisset Sat. 2, 2, 77—79., quo solo, praeter hunc, loco verbum

*praegravandi* legitur apud Horatium,

corpus onustum

Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,

Atque affigit humo divinae particulam aerae.

non potuisset non perspicere, *qui artes praegravet*, eum dici, qui artium quadam quasi gravitate, h. e. praestantia, aliorum in artibus virtutem ita deprimat, ut horum virtus prae illius praestantia erigere se nequeat. Etenim eam notionem, quae voce *artes* continetur, tantas Doeringio molestias creasse, vix existimandum est; quum et ipse contendat, *arte* suum latiore significatione accipiendum esse, ut Od. 3, 3, 9. et 13., ubi vis huius vocis proxime accedit ad notionem praestantiae et virtutis; nec proinde idem *arte praegravare* alium statuere possit, nisi eum, qui pollens arte praegravet. Unde sequitur, *qui praegravet artes*, eum esse, qui pollentes artibus praegravet, h. e. praestantior sit iis, qui ipsi in artibus s. virtutibus exercendis operam collocaverint. Quod autem dicit Doeringius: „quid est vincere vel superare artes? accipiunt „quidem nonnulli interpretes *artes* pro artificibus, sed hic „non sermo est de artificibus“, id ejusmodi est, ut ostendat, ipsum accepisse *artifices* sensu strictissimo et in hoc offendisse. Sed qui *artes* pro *artificibus* dictum censuerunt, nihil aliud nisi docere voluerunt, tropum esse in *artes* eum, quo res pro personis, artesque pro iis, qui eas exercent, positae sint. — Et Vossiana denique interpretatio

Denn mit blendendem Glanze beleidiget, wer vor den Andern  
Raget durch höhere Kunst; —

tantum abest, ut conjecturam Doeringianam firmet, ut in ea  
verborum *qui praegravat artes (arte,) infra se positas (po-  
sitos)* sensum, secundum vel vulgatam, vel Feenam, vel Doe-  
ringianam scripturam, sublato scilicet tropo, proprium et  
generalem, quemadmodum in Porphyrii commentario pro-  
saice, sic in hac interpretatione poetice, minus tamen accom-  
modate ad verba Latina, expressum inveneris.

His igitur argumentis probasse nobis videmur, vulga-  
tam h. l. scripturam non solum non vituperandam, sed etiam  
meliozem esse quavis earum mutationum, quas illi VV. DD.  
inierunt. — Ceterum similis illa Horatii sententia Od. 3, 24, 31. 32.

Virtutem incolumem odimus,

Sublatam ex oculis quaerimus, invidi.,

rectius huc referenda est, quam ad v. 21. et 22., cui Doerin-  
gius eam adscripsit.

Porro Doeringius ad v. 16.

Iurandasque tuum per nomen (numen) ponimus aras  
„eodem, inquit, redit, utrum cum Bentlejo legas *tuum per*  
„*numen, an tuum per nomen.*“ — Nec quisquam hoc renuerit,  
si, neglecta reliquarum sententiarum, quarum haec pars est,  
serie, neglectoque et fine, quem in his poeta sibi proposuit,  
et more, quo librarii male religiosi utebantur, per se sola

hujus versus sententia expendatur. Licetque idem per libros mss., qui utramque scripturam promiscuè exhibent; ac permutatio harum vocum in edd. notissima est. Sed primum ipsa illa comparationis ratio, quam Horatius in v. 5—17. ita instituit, ut ea multo feliciorum Augusti quam heroum illorum sortem describeret, satis aperte declarat, minus convenienter superioribus illis *Deorum in templa recepti* in his de Augusto tantum opponi *aras tibi ponimus per nomen tuum jurandas*. Nam *templis* quidem *arae*, *Deorum* vero notioni in his nihil respondet; nisi si quis per synesin hoc ducat expressum verbis *jurandas per tuum nomen*. Nihilo tamen minus miraremur, si poeta hoc ipso loco, ubi laudibus honoribusque Augustum ornat, quae vel nobilissimorum heroum sortem excedant, temperare sibi voluisset ab ea verborum adulatione, quae tam ceteris aetatis suae hominibus quam ipsi consueta erat; praesertim quum ad eundem Augustum Carmen 5. l. 4. dirigens in simili argumento, sed quod tamen caret peculiari hac comparationis vi, v. 31—36 dicat:

et alteris

Te mensis adhibent Deum;  
 Te multa prece, te prosequitur mero  
 Defuso pateris, et Laribus tuum  
 Miscet numen, uti Graecia Castoris  
 Et magni memor Herculis.

Deinde tota ea ratio, quam sequitur poeta per uniuersum

hujus epistolae principium, ita comparata est, ut demonstraret, soli Augusto contigisse, ut jam tum vivens et praesens Deus (cf: Od. 3, 5, 2. quem locum Doeringius ipse affert) a populo suo coleretur. Quibus de caussis disertam in his, qua divina conditio exprimatur, vocem necessario requirimus. Postremo quum bona pars cdd. mss. *numen* det pro *nomen*, tanto minus dubitabimus, quin illud h. l. vindicemus, quo notior est turpis monachorum aliorumque his similibus librariorum, veteres scriptores calamo excipientium, religio in transscribendis ejusmodi vocibus, quibus veri Dei honorem laedi putabant. (Insignis ad hanc rem locus est ap. Cornel. Nep. in Ages. 2., ubi in optimis cdd. legitur *unus numen* pro *Deorum numen*.) His praemissis loca, quibus Bentlejus defendit *numen*, suam vim atque auctoritatem accipiunt.

Vix tamen quisquam, ratione comparationis, in qua totum hujus epistolae exordium versatur, probe cognita, cum eodem Bentlejo in versu praecedente *maturus* per eandem librariorum religionem inculcatum censeat pro *divinus*. Nam *maturus* partim explicat atque illustrat antecedens *praesenti*; quippe hoc luculentius, quam per solam vocem *praesenti* fieri potuerit, exprimitur, quanto Augustus illos heroes felicitate antecedit; partim secundum illam comparationis rationem oppositum est verbis v. 6. *post ingentia facta* et quae inde sequuntur ad versum usque 14. Sed cavendum est, ne *maturus* pro *serus* accipiatur, quemadmodum explicatum est in

Ind. ed. Doering. sub v. *maturus*, sed potius sensu contrario, ut in Carm. 5. l. 4. v. 3. *maturus reditus* est, qui cito futurus est, acceleratur; ad quam interpretationem Doeringius ipse accedit, in commentario ad h. l. dicens: „*maturos*, tempestivos in vita, non seros post mortem.“

Idem ad v. 18—22. *Sed tuus hic populus etc.*: „Sensus „ et nexus: (*Sed*) Idem tamen hic populus, qui in te uno, „dum te adhuc viventem tam nostris quam Graiis ducibus „anteponit, sapiens et justus est, nunquam simili ratione „modoque caeteros aestimat, sed eos, donec vivunt, fastidit „et odit. — Sic non opus est, ut in v. 18. pro *hic* cum Bent- „lejo legatur *hoc*. — *Te* in v. 19. tam ad *ducibus* quam ad „*uno* referendum videtur.“

Haec vero nota totam errorum farraginem complectitur. Primum enim non obscure *sed* esse vult Doeringius id quod *tamen*; etsi *tamen* non nisi ad *caetera nequaquam* referri potest. Contra *sed* propriam et in huiusmodi sententiarum nexu. notissimam vim habet transitionis ad rem novam. — Deinde pro *nequaquam* in explicatione ponit *nunquam*, quod et per se falsum est et a mente Horatii prorsus alienum, praetereaque peculiarem harum sententiarum rationem inter ipsas pervertit. — Tum *caetera* dictum accipit pro *caeteros*, idque non solum obiter in hac explicatione, sed disertis verbis in nota seq., ubi: „*caetera*, inquit, pro *caeteros*, ut passim

*omnia pro omnes.*“ Qui usus neutrius generis pro masculino, etiamsi ad h. l. pertineret, tamen ita notus est, ut, qui hodie ad Horatium legendum admittuntur, iis tali animadversione opus non fuerit. Verum enim vero neutrum genus h. l. proprie accipiendum esse, perspicuum est e longo ordine eorum, quae proxime sequuntur: *nisi quae terris semota suisque temporibus defuncta videt — sic fautor veterum* (quod ipse interpretatur *vetusta*) — ad verba usque: *si quia Grajorum* (Doeringius scripsit *Graecorum*, male!) *sunt antiquissima quaeque scripta vel optima.* His enim singulis declaratur, *caetera* dicentem, Horatium de scriptis cogitasse non de scriptoribus. — Porro quod attinet ad verba Doeringii: „Sic non opus est, ut in v. 18. pro *hic* cum Bentlejo legatur *hoc*“; quam tandem in explicatione sua causam attulit, cur id opus non sit? Nullam prorsus, praeterquam quod etiam in explicatione posuit *hic*. Et posset quidem, nisi melior illa prodita esset scriptura, defendi *hic*; neutiquam tamen eo, quo Fea fecit modo, qui nescio cur *hoc* „barbarum et indoctum“ vocans, (in quo eum graviter et recte reprehendit etiam Bothius) „*hic*, inquit, necessario additum est ab Horatio, ut initio statim Populum Romanum demonstraret, de quo perpetuo „agat in ep.“ Nam populi Romani non in his demum mentio fit, sed non obscure ejusdem notionem complectuntur etiam priora verba: *largimur, ponimus, fatentes.* Itaque si genuinum esset *hic*, pro communi hujus pronominis usu, subje-

ctum verborum *largimur, ponimus, fatentes* respiceret, et exprimeret Graecorum non *hodie*\*), quod Fea vult, sed *hutos*\*)); ut ei fere haec sententia inesse diceretur: cuius modo mentionem feci. Sed hanc demonstrativi notionem in his necessariam non esse, ipsi interpretes eo videntur declarasse, quod nihil de hoc pronominis usu monuere. Ac sane languet ejus usus h. l. vel propterea, quod *hic* postpositum est voci *tuus*; quam ipsam ob causam, etiamsi Horatius scripsisset *hic*, potiore tamen vim positam esse voluisset in *tuus*. Nam *tuus populus* suam vim accipit ex eo, quod oppositum esse cogitandum est populis heroum antea memoratorum; ut his verbis subjecta sit sententia: Multo melius, quam in illos heroes sui populares, in te tui animati sunt. Quem sententiarum nexum inter ipsas qui animadverterit, intelliget, peculiarem vim demonstrativi *hic*, sive ad priora sive ad sequentia verba traxeris, fere totam evanescere. Contra quanto aptius ac simul elegantius est legi *hoc*, jungendum cum *in uno*; quo tamquam vinculo sequens et perpetuum epistolae argumentum annectitur ejus principio. Atque haec verborum sententiarumque conjunctio suam demonstrativo vim vindicat; ita tamen, ut spectet ad sequentia et explicandum sit Graeco *toide*\*)).

---

\*) Graece haec scribenda erant; ut p. 18 v. 7. *tautologias*. Sed formae Graecae ad nos nondum pervenerunt. Quodsi prius rescissem, in his certe Graecis vocibus abstinere potuissem.



Insuper defenditur scriptura *hoc* vel eo, quod Acro et Porphyrio absque ulla dubitatione sic legerunt, disertis ille quidem verbis hunc locum explicans: „Populus, inquit (Horatius) Romanus in hac sola re justus et sapiens est, quod te praefert omnibus ducibus suis omnibusque Graecis; sed in hoc, quod caetera non simili ratione ponderat, stulte agit—“, hic vero: „hac re sola sapit, quod te omnibus praeponit; in caeteris autem peccat—“; vel quod unus antiquissimus cd. hanc scripturam conservavit: et verosimilius est, male sedulos librarios propter nominativum utrimque huic pronomini adjectum (*tuus — populus*) adductos potius esse ad scribendum *hic* pro *hoc*, quam *hoc* pro *hic*. Utique enim *hoc* difficilius erat ad jungendum cum reliquis verbis. Accedit, quod sic loqui, etiam interjectis, ut h. l., aliis verbis Horatio usitatum est; id quod Bentlejus probavit Sat. 2, 3, 53. hac ipsa ep. v. 120. et maxime Epp. 1, 10, 2.:

hac in re scilicet una

Multum dissimiles, ad caetera paene gemelli.

Quorum verborum compositio, quod attinet vel ad praepositionem in parte priorē vel ad antithesin in utraque periodi parte, ita convenit cum h. l., ut vel ad serum verae ejus scripturae documentum exarata esse videatur. — Postremo, quod dicit Doeringius, Te tam ad *ducibus* quam ad *uno* referendum videri, ea re declarat, quam parum intellexerit Bentleji verba, e quibus haec desumpta sunt. Bentlejus enim

censet, (id quod res ipsa postulat, si retinetur *hic*) sublata interpunctione post *uno*, continuanda esse verba

Sapiens et justus in uno

Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,  
eaeque sic jungenda: in te uno, anteferendo nostris (et)  
Graiis ducibus. Quamquam haec conjunctio verborum quam  
sit incommoda, quisvis sentiet, vel aliqua Horatii lectione  
orationem ejus edoctus.

---